



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.11. Arsenius revocatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

§. XI.

Arsenius revocatur.

Sæcul. XIII.

A. C. 1261.

Inter primas ejus curas fuit sedi Patriarchali per Nicephori decessum viduæ providere. Hoc fine convocavit Episcopos, quorum aliqui revocandum censebant Arsenium, utpote canonice non exauthoratum; alii abdicationi ejus, ac obstinatæ reditus recusationi insistebant. Imperator aliquamdiu pendebat animi, hinc, ne Arsenius ipsius propositis obsteret, illinc offensionem metuens, quem electio novi Patriarchæ faceret. Denique revocare Arsenium statuit, qui pariter hærebat medius in priora incommoda recidendi metum inter, ac desiderium videndi Constantinopolim, sedemque suam occupandi. *l. 3. c. 1. 2.*

c. 34.

Greg. p. 51.

Igitur Imperatoris atque Concilii rogatu venit. Ille præterita excusans magnis affectum honoribus comitante numero Procerum omnique populo ad S. Sophiæ duxit, manuque prehensio, *En Acropol. p. 103.* sedem tuam Domine! inquebat: cape illam modo, postquam ea tamdiu caruisti! Misit eundem in possessionem proventuum Patriarchatus: & S. Sophiæ templum in statum pristinum restituit, altare, sanctuarium, suggestus, siparia, vasaque sacra suis impensis reparans:

nam

Sæcul. XIII.
A. C. 1261.
nam Latini hoc templum suis usibus aptando prioribus ornamentis privaverant. Demum prospexit alendis cantoribus sacrisque ministris, ac rebus omnibus, quæ ad decorem divini servitii conducebant. Patriarcha illi gratiam tantam habuit, ut faciliorem se præberet ad eum rursus coronandum. Hic enim Princeps id cupiebat, recuperata Constantinopoli suum regnum, ipsumque Imperium renovatum putans.

Pach. l. 3.
c. 10. Greg.
l. 4. c. 4.

Hac in ceremonia non memorabatur adolescens Imperator Joannes Lascaris. Contra Michael Palæologus paulo post executioni dedit, quod in eum diu meditabatur, insuper habitis juramentis, quæ dixerat, cum in solium eveheretur. Ipso Christi natali die illum, ut regnando imparem redderet, excæcavit, ferrum candens prope oculos admovendo. Tum arci ad maris littus incluso victum sufficientem dedit. Erat vero misellus Princeps septemdecim circiter annos natus. Sic Michael imperare solus perrexit.

§. XII.

Cardinales novi.

Mon. Pad.
p. 614.

Cardinales, quia Alexander IV. nullos creaverat, in parvum redacti erant numerum. Idcirco Urbanus IV. quatuordecim renunciavit, septem trimestri

Ec.